

375

373

379

369

384

364

424

324

474

274

Ende

Anfang

360

est adscensus usque ad locum hunc, in quo muri ecclesiae
sine aedificiis stant. Hoc enim insigne de loco resertur, quod,
cum multi Sarraceni super veteres muros illos attentaverint
sibi domos construere, numquam aliquis potuit structuram
consummare, sed post labores et sumptus subito constructa
corruere, et hoc totiens contigit, quod nemo in loco hoc
attentat quidquam erigere, sed dimittunt murorum ruinas
vacuas stare. Dicunt etiam, quod nec lapides possunt inde
auferri, in signum sanctitatis loci et futurae ecclesiae ibi
aedificandae.

(B) De loco, ubi Dominus Jesus ad mortem
fuit sententiationatus, qui dicitur Gabatha vel
Lychostratos.

Inde progressi in vicum venimus, ad locum, ubi tempore
passionis Christi erat locus judicii, dictus hebraice Gabata,
et graece Lychostratos, latine vero collis moeroris, quia erat
altitudo multae moestitiae illis, contra quos sententia fereba-
tur. De hoc loco habetur Joh. 19. Stat autem in loco illo
arcus altus, de quadratis lapidibus, flexus de una parte vici
in aliam, claudens superius vicum ad modum portae. Supra
arcum vero murus est aedificatus, longitudinem viri habens.
In hoc muro sunt immurati duo quadrati lapides albi, de polito
et candido marmore, a se invicem distincti, contra vicum
respicientes, ac si pro decore essent muro inserti. Tempore
enim passionis Christi erat locus ille Lychostratos marmoreis
tabulis pavimentatus, et in pavimento fuerunt elevati super
alios pavimenti lapides duo politi, albi et quadrati unus
sub tribunali, ita, quod judex sedens pro tribunali haberet
pedes super eum; alter vero erat in medio pavimenti, super
quem statuebatur reus judicandus. Et per circuitum erant
scamna consulum et judicium. Ad hunc ergo locum Gabatha
exivit Pilatus, ad sententiam peremtoriam faciendam contra
Jesum, sedens in tribunali, pedes habens super lapidem, et
Dominus Jesus summandus stetit super rei lapidem. Hos
duos lapides acceperunt fideles, et eos super arcum hunc
muro inseruerunt in perpetuam rei memoriam. In hoc ergo

